

Augusti proxime sequentis, quem diem inchoandæ Diœcesanæ Synodi certum indicimus, summo mane, in Capellam Majori Seminarii nostri conveniant: nisi forte legitima causa, quam Nobis probare debent, impedianter. Inde autem cum convenerint ne cuiquam ante ipsius Synodi finem discedere liceat, nisi missione à Nobis impremitra. Monemus præterea omnes et singulos ut memores ejus quod dixit Apostolus, de seipso aliisque Christi ministerio mancipatis loquens, *Christi bonus odor sumus in omni loco*, tum in itinere quod hujus Synodi causa suscepturi sunt, tum in urbe nostra Episcopali, et quolibet alio loco, cam frugalitatem, modestiam, gravitatem in verbo et conversatione servent, quæ decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum ejus, ac denique in omnibus ordinem à Nobis præscriptum teneant, qui ab ipsis Synodi officiariis nostro nomine illis significabitur.

Ut vero Synodalibus hæc actio, Dei ope et auxilio, felicius pro ejus gloria et animarum salute succedat, edicimus ut post inductionis hujus promulgationem, in omnibus urbis et Diœcesis nostræ Ecclesiis et Capillis seu publicis oratoriis, quinta cujusque hebdomadæ feria, quoad ipsa Synodus absoluta et dimissa sit, missa de Spiritu Sancto ab omnibus et singulis Sacerdotibus celebretur; aut saltem ipsis Sancti Spiritus in ea fiat specialis per orationem ad id propriam, ante Orationem *contra persecutores Ecclesiæ* jam præscriptam, commemoratio et invocatio. Ac præterea ut ab ipsis Parochis cæterisque supramemoratis moneantur et excitentur fideles eorum curæ commissi, quatenus piis precibus ad Deum fusis, ac etiam digne perceptis Pœnitentiæ ac Eucharistiæ Sacramentis hoc ab ejus misericordia impetrare studeant, ut ea quæ munera nostri sunt in hac Synodali actione exequentes, largiorem divinarum gratiarum communicationem Nobis et iis omnibus quorum custodia Nobis demandata est, obtinere valcamus.

Datum apud Sanctum Timothæum, inter Pastoralis